

LAS SENTENCIAS
DE LOS PADRES

CONTENIDOS EN ESTE TOMO III.

COMO SE HALLAN

EN LA LENGUA LATINA.

SENTENCIAS ESCOGIDAS.

DE SAN EFRÉN

Correspondientes al Capítulo I. Artículo IV.

I. Si de Sacerdote ignoras, dignusne an indignus sit tanta sublimitate, tu ob præceptum Christi, cave despereris, etenim fulgidissimum aurum, luto licet contaminatum, non percipit detrimentum. (*De Sacerd.*)

II. Angeli mundi cum tremore ministrant, faciemque obtegentes non audent respicere; at tu, cum immundus sis & impoenitens, non contremiscis. . . & imprudenter accedis? hominibus quidem te rite Eucharistiam sumere fidem facis; cordium autem Scrutatori quid dices? declina igitur à malo, frater, desle, & ablue vas tuum quod peccando contaminasti, firmumque non amplius peccandi propositum habe, & sanaberis: Deus enim poenitentium Deus est. (*De Dignit. div. myst.*)

III. Cum Deo multis, cum hominibus paucis loquere. (*Encom. in Psalm.*)

IV. Noli hodie poenitentiam de peccatis tuis agere, & cras in perditionem animæ tuæ in Choreis saltare. . . Ne quæso, fratres, ita tempus salutis nostræ deperdamus ludentes, ac ludificati. (*Ibid.*)

V. Ab oratione cave desistas, quæcumque poteris, genuflecte; quando non poteris, Deum invoca, vespere, mane, & meridie. Si orationem operi præmiseris, & surgens è lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato non patebit. (*De Orat.*)

VI. Gloria Christianorum humilitas animi est, spiritualis paupertas, obedientia, poenitentia cum lacrymis, mansuetudo, & quies. (*De Amor. paup.*)

VII. Beatus qui proximum tolerat, sed vix illi qui toleratur, nec intelligit. (*De Vit. spir.*)

VIII. Curam animarum ne apeteris: nam cum ad eam metam nondum perveneris, ut cunctis animi tui passionibus imperes, & tibi ipsi, & illis qui te sequerentur, noceres. (*Ibidem.*)

IX. Sua quemque latent vincula, & laqueos sibi paratos ignorat: ebriorum instar, qui vino perfusi, nec se vinciri sentiunt, neque objectos sibi laqueos præ ebrietate vident. (*De morb. ling.*)

X. Si quis virum aliquem justum, maledictis insectetur, aut veritatem irrideat, alius autem ad ea conticescat; nonne silentium hoc ipsi vertetur in crimen; audiendo enim talem, & non reprehendendo, maledicta ejus videtur comprobare tamquam vera. . . & sic idem in utrumque supplicium constituitur; alius propter vitium linguæ, alius propter auditum damnatur. (*Ibid.*)

XI. Quæ parva videntur non ideo contemnenda: contingit enim unæ avis in laqueum incidens minima capiatur

unguicula, & alarum vires franguntur, & debilitantur ob unguem vilem; & cum totum sit corpus extra laqueum, totum tamen retinetur. (*Ibid.*)

XII. Initium luctus est aliquem nosse se ipsum. Sit vero luctus noster non secundum hominem, sed secundum Deum. Hilari atque amoeno simul adspectu gloriantes in Spiritu Sancto super donis Domini, cogitatione autem, & animo gementes Deum exoremus. (*Ibid.*)

XIII. In rebus ludicris non esse tempus à Christianis consumendum omnes novimus, & ex divinis Scripturis hausimus. (*A lud. reb. abst.*)

XIV. Compungere anima mea, compungere super universis bonis quæ à Deo accepisti, & non custodisti: compungere de omnibus, quæ fecisti, malis; compungere de omnibus in quibus te Deus patienter expectavit. (*Serm. 2. de Comp.*)

XV. Quemadmodum Corpus, nisi pane sustentetur, vivere nequit: ita nec anima nisi spiritali alimento reficiatur. . . . nutritur illa in Verbis divinis, in Psalmis, in Lectionibus sacrarum Scripturarum, in jejuniis, in vigiliis, in lacrymis, in spe ac meditatione futurorum bonorum. (*De Compunt. & salut. anim.*)

XVI. Clamat Dominus per Prophetas, per Apostolos, & per Evangelia, & pauci attendunt. Vocat diabolus per tripudia, ac cantilenas dæmoniacas; & multitudinem congregat. (*Cont. neg. resurec.*)

XVII. Talis est peccati natura; delectat parum, & cruciat multum; delectat ad tempus, & cruciat in perpetuum. (*Ibid.*)

XVIII. Tribulatio mundi difficilis, & sine mercede; tribulatio autem ex parte Dei spem vitæ æternæ repositam habet. (*In illa Verb. attende tibi.*)

XIX. Erubescite anima! & ne desperes. Cecidisti; re-

surge. Nam sæpe licet pugil ceciderit, tandem adhuc coronam refert. Viriliter age, & dic: nunc coepi. (*Paren. 42.*)

XX. Quid nobis & sæculo, qui mortui sumus mundo? (*Paren. 44.*)

XXI. Tria sunt excolendis virtutibus, ac cælesti puritati perquam accomoda: temperantia ventris, moderatio linguæ & occulorum froenum. (*De Humilit. compar.*)

XXII. Quantum dæmones desperationis timore animam gravant, tantum nos spe futurorum sublevemus eam divinæ commiserationis memores. . . . Qui enim dixit non tantum septies, sed septuagies septies dimittendum esse proximo; multo magis peccata dimittit expectantibus salutare ejus. (*Ibid.*)

XXIII. Vice scuti signo crucis te muni. Studia, ingressum, exitum tuum. . . . Si quis terreni Regis signaculum defert, eum lædere nemo audet: quanto magis nos qui tale cælestis Imperatoris signum ferimus nullum metuere possumus. (*De Panopl.*)

XXIV. Negotiator sæcularis damna, & lucra quotidie computat. Sic etiam tu diebus singulis vespere & mane diligenter considera quo pacto se habeat negotiatio tua. . . . Quod si compereris, te detrimenta perpessum, futuris lucris præterita damna sedulo resarcire cura. (*De Vita Relig.*)

XXV. Non ad actionem respicit Deus, sed ad propositum voluntatis. Non intuetur quod fit, sed quò studio ac propensione peragatur. (*De Pœnit.*)

ADICIONES.

I. Non exiguum sibi
damnum conciliat pastor dum
extra ovile dormit ovium:
Pastorum enim negligentia,
luporum est gaudium. (*De*
timore Dei.)

II. Si quis per igna-
viam seipsum relaxans gra-
tiam Dei in auxilium invo-
care neglexerit; seipsum ac-
cuset, & non gratiam, si
ab ea deseratur. (*Ibid.*)

III. Peccatores poeni-
tencia immolat, sed rursus
eos vivificat; mortificat, ac
denovo resuscitat. . . . magna
fornax est poenitentia: æs ac-
cipit, & in aurum commutat.
(*Ibidem.*)

I. No es poco el da-
ño que el pastor se está ha-
ciendo á sí mismo, entretanto
que duerme fuera del redil
de sus ovejas: pues la negli-
gencia y descuido de los Pas-
tores es el contento de los
lobos.

II. Si alguno por pereza
y floxedad se descuida en
implorar los auxilios de la
gracia: no acuse á la divina
gracia si se ve desamparado;
acútese á sí mismo.

III. La penitencia sacri-
fica los pecadores, pero les
vuelve á dar la vida: prime-
ro los mortifica, y despues
los resucita. Es la penitencia
un horno excelente, porque
le echan metal despreciable,
y le convierte en oro. (*De*
tim. Dei.)

SENTENCIAS ESCOGIDAS

DE SAN BASILIO

Correspondientes al Capítulo II. Artículo IV.

I. Non solus oculus ea quæ sunt foris conspiciens, ad
se seipsum cernendum, haud utitur facultate videndi; sed
ipsa etiam mens nostra peracutè perspiciens alienos errores
tarda est ad proprios suos cognoscendos defectus. (*Hom. 9. in*
Hexaem.)

II. *Scriptura omnis divinitus inspirata est utilis*: hac
una ratione à Spiritu Sancto conscripta astruitur ut ex ea,
haud secus atque è communi quæpiam curandarum animarum
officina, medellam suo quisque morbo salutarem, & accomo-
dam queat seligere. (*Hom. in Psal. 1.*)

III. Alia Prophetæ nos erudiunt, alia Historici, alia
lex, alia opus Proverbiorum. . . . at unus Psalmorum liber
quidvis ex omnibus in se complectitur, quod usui sit om-
nibus; futura certissimis præcinit oraculis; historicam con-
tinet narrationem; leges statuit vitæ sanctius instituendæ;
cuique agenda præscribit & submonet. (*Ibidem.*)

IV. *Qui vult à te mutuum accipere ne avertis*: nam
& pauper qui hic à te petit, utique mutuum ex te petit, il-
lum tibi ostendens divitem qui in cælis est, qui tibi pro eo
exolvit debitum: *qui enim pauperis miseretur Deo fœnerat*.
Fœnoris vero certa, fideque digna sponso est Regnum Cæ-
lorum. (*I. Psal. 14.*)

V. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi*: non
cuilibet animæ gaudium à Deo infunditur; sed ei quæ pec-
catum suum vehementi luctu, & assidua lamentatione plo-
raverit; veluti si seipsum mortuum lugeat; qui sane fletus